

RAYMUNDUS TELLERÍA

DOCUMENTA TRIA CIRCA RES FAMILIARES

D. IOSEPHI DE LIGUORO ET EIUS FILII, S. ALFONSI

Dum primum studium (infra N° I) de abdicatione iurium primogenitalium s.i Alfonsi (an. 1727) in officina typographica componitur, auctor, RP Tellería, socius nostrae redactionis, iterum in urbem Napoli reversus est ut dilectis suis indagationibus in tabulariis eiusdem civitatis tempus et sudorem impenderet. Ita factum est, ut inter alia multa inveniret scripturas originales « praetamenti », ut ita dicamus, seu dispositionum praeviarum et ipsius testamenti patris s.i Alfonsi, Iosephi de Liguori, documenta certe particularis momenti. Vix e meridionalibus plagis ad nos reversus, P. Tellería de his duobus documentis alia conscripsit studia, quibus scilicet praenotamina necessaria et ipsos textus praesentaret (infra N° II et III).

Ne tereretur tempus, subiungimus haec duo studia primo articulo iam composito, absque ulla mora, nec insistentes in pertractatione unitaria trium documentorum, cum introductione unica; sequuntur ergo infra tria studia, unumquodque cum propria introductione et sub proprio titulo. L.

I

ABDICATIO IURIUM PRIMOGENITALIUM

A S. ALFONSO AN. 1727 STIPULATA

Nuper invenimus instrumentum notarile hucusque incognitum, cuius vi S. Alfonsus die 7 februarii an. 1727 iura primogeniti in fratrem Herculem ultimogenitum transtulit. Idcirco, dum huius fraternae conventionis textum in lucem edimus eumque succinctis adnotationibus enucleamus, quaedam commenta praemittimus de familiae Liguoro notariis, seu rectius de nonnullis qui cognomine Palmieri distinguuntur.

I. NOTARII PALMIERI, QUIBUS FREQUENTIUS USA FUIT FAMILIA LIGUORO.

Disciplinae historicae cultoribus, qui penetralia gentis Liguoro intimius noscere gestiunt, suadetur ut ante gressus suos facem accendant a familiae notariis indagatori porrectam. Notarius vero nec semper idem domui adhaesit nec cuncta familiae instrumenta unus signavit nec proinde facile in Tabulario

reperitur. Archivum namque neapolitanum sub hoc respectu bifarium hodie dicendum est: aliud simpliciter Notarile apud ecclesiam S. Pauli Maioris in historico coenobio Patrum Theatinorum defixum, aliud autem Magno Archivum Status incorporatum: huiusmodi incorporatio speciali ratione indagines alfonsianas pertingit, utpote quod anno superiore ex Archivum Notarili in Archivum Status transmissa sunt 30.000 circiter volumina; ea omnia videlicet quorum auctores seu notarii munus suum exercuerunt aut saltem inchoaverunt ante annum 1700, etsi deinceps illud fuerint prosequuti primis saeculi XVIII decenniis. Minus ergo arduus labor investigatori alfonsiano redditur, quoniam Archivum Status liberae consultationi apertum visitur, dum Archivum Notarile censetur privatum vel quasi privatum atque specialibus restrictionibus quoad consultationem subiacet (*).

His de causis notariorum coetus, qui cognomine Palmieri gaudet atque activitatem suae professionis vergente ad finem saeculo XVII aut ineunte saeculo XVIII explicuit, protocolli libros seu ponderosos fasciculos in Archivum Status recondit, uno execepto Carolo Palmieri cum familia Liguoro prae aliis devincto, cuius manuscripta volumina apud Archivum Notarile restant. Eorum agendi campus frequentior, licet non unicus, « casales » urbis neapolitanae ideoque Marianellam comprehendebat, necnon suburbanam urbem regionem paroeciae S. Mariae « dei Vergini » adnexam. In archivorum indice officiali recensentur quinque notarii patronymico Palmieri seu Palmerii nomine insigniti simulque additur periodus historica, qua officio publico fungebantur aut saltem quae hodie nobis consulenda praebetur, scilicet: Palmieri Franciscus (1689-1699), Palmieri Iacobus Antonius (1682-1741), Palmieri Dominicus Aniellus (1671-1698), Palmieri Franciscus Antonius (1696-1723), Palmieri Carolus (1725-1737).

Horum singuli diversa lance pensantur ad scopum nostrum alfonsianum. Ipsum namque vix attingunt duo primi notarii, quandoquidem Franciscus Palmieri suo functus est munere in oppido Caivani prope Aversam; Iacobus autem Antonius Palmieri in metropoli neapolitana tanquam filius spiritualis Ven. Ludovici Sabbatini Pii Operarii, R.mi Falcoiae in novitiatu moderato: huius affiliationis causa notarius iste in suo protocollo an. 1724 (f. 247-261) nobis exhibet praedicti Pii Operarii testamentum necnon accuratissimum inventarium duplicis bibliothecae, quam sive Romae, sive Neapoli ad S. Georgium sibi Lud. Sabbatini comparaverat ac cuius proprietatem libere ante mortem confratribus cessit.

Iam vero, quoniam tres ultimi supra memorati notarii copiosorem nobis afferunt instrumentorum messem, de singulis agemus seorsum praemittendo summam documentariam, id est, annum, folium, ac materiam: quae omnia, reservato publicationis iure, fusius novis articulis reserabimus.

A. DOMINICUS ANIELLUS PALMIERI (1671-1698)

Notarius hic munia notarilia obiit in casalibus Barrae, Ponticelli ac potissimum Marianellae; idcirco nobis reliquit anno 1698 (absque foliatione, die 3 iulii) pretiosum ac valde longum instrumentum in quo, ex una parte, « cons-

(*) Molto volentieri colgo l'occasione per ringraziare l'Ill.mo Dr. D. Luigi Osnato, Conservatore Capo dell'Archivio Notarile, delle sue gentilezze e del suo interessamento per le mie ricerche. Ringrazio pure sentitamente gli Aiutanti D. Giovanni B. Vittorio e D. Carmine Granata.

tituuntur » seu interveniunt D. Dominicus de Liguoro necnon Iosephus de Liguoro, avus et pater S. Alfonsi, respective; ex alia autem, D. Nicolaus de Liguoro simul cum suis fratribus (quorum repraesentationem gerebat): Emanuele novitio theatino, Francisco monacho benedictino, Domenico religioso theatino (futuro episcopo Lucerino et Cavensi), Antonia (1) uxore D. Iacobi Salerno et Lucretia. Utraque familia, ab annis propter lites haereditatis inter se dissociata, coram notario signavit reconciliationis pactum, cuius textus in proximo edendus nos docebit plurima de S. Alfonsi stirpe genealogica ac de gentis Ligoriae opibus Marianellae existensibus.

B. FRANCISCUS ANTONIUS PALMIERI (1696-1723)

Inter documenta, quae nostra intersunt, maioris momenti videntur sequentia suis quaeque annis in Protocollo distributa:

Anno 1709, f. 235. - Super Vespasiano de Liguoro, patritio neapolitano, qui in casali Marianellae praedium seu « territorium » modiorum decem et octo possidebat.

Anno 1716, f. 9-46. - Longum ac fundamentale instrumentum super familia Del Balzo, cuius vir princeps (*barone*) D. Dominicus an. 1720 matrimonio se copulavit cum Theresia de Liguorio, S. Alfonsi sorore.

Anno 1716, f. 363. - Bona describuntur, quae D. Nicolaus de Liguoro supra memoratus retinebat in casali Marianellae, et proprie in loco « Cannito » iuxta confines praediorum Dominici et Iosephi de Liguoro, avi et patris, respective, S. Alfonsi.

Anno 1720, f. 51. - Comparet R. mus Dominicus de Liguoro, episcopus Lucerinus, tutor Nicolai de Liguoro iunioris, nepotis ex fratre.

Anno 1720, f. 97 ss. - Idem R. mus Dominicus de Liguoro, Episcopus Lucerinus, tutor nepotis ex fratre atque eiusdem fratris testamentarius, exhibet ac subscribit inventarium bonorum, quae frater Nicolaus († 30 martii 1719) reliquerat. Inter creditores distinguitur « il Signor D. Peppo de Liguoro » (ni fallimur, pater S. Alfonsi), a quo defunctus Nicolaus mille ducatus mutuo receperat.

SCHOLIUM. - *De homonymo Iosepho de Liguoro*. - Aliunde, ex libris videlicet paroecialibus S. Mariae « dei Vergini » ac Marianellae, noscebamus ibidem vixisse primis saeculi XVIII decenniis Iosephum de Liguoro, homonymum patris S. Alfonsi. Homonymus iste erat filius Francisci de Liguoro et Annae Brancaccio; ac patre orbatu an. 1698, cum matre vixit, quae an. 1700 secundas nuptias iniit cum Carolo Urso. Carebat titulo patritio: hac de causa, quoniam eodem ac pater S. Alfonsi utebatur notario Francisco Antonio Palmieri, vigili attentione instrumenta perlegere oportet, ne alius cum alio confundatur. Confusionem autem vitabit qui qualificationem « patritii » exquirat, semper patri S. Alfonsi a notario reservatam. Homonymum porro Iosephum haud diceres pauperem, quippe qui Marianellae se habere asserit « partem et proportionem super massaria modiorum octoginta, arbustata, vitata et seminatoria in loco ubi dicitur a S. Rocco ». Instrumenta demum notarilia, quae ipsum respiciunt, his protocolli locis summatim recensemus: *Anno 1704*, ff. 430^v, 585. - *Anno 1706*, ff. 417^v-434, 438. - *Anno 1708*, ff. 318, 332, 397. -

(1) Scribit Tannoia: « Ci erano tra Reggenti del Collaterale D. Giacomo Salerno, zio di Alfonso, perché marito di Antonia Liguori, sorella di suo padre » (*Della Vita ed Istituto* . . . I, Napoli 1798, 11). Ex hoc documento atque ex aliis plurimis suo tempore afferendis eruitur sororium legamen, quod inter Antoniam et S. Alfonsi patrem cedere dicitur, non posse gradu stricte ac immediate collateraliter fundatum vocitari, sed mediate tantum ac latiore sensu, prout saepe de consobrinis apud neapolitanos dicebatur.

Anno 1171, f. 408. - Anno 1713, ff. 105^v, 241, 247, 296, 509. - Anno 1715, f. 364. - Anno 1716, f. 522. - Anno 1717, ff. 113, 398. - Anno 1718, f. 165. - Anno 1719, die 10 iulii, die 7 decembris. - Anno 1720, f. 43^v. - Anno 1722, die 8 decembris.

Eidem Iosepho de Liguoro operam suam praestitit notarius Carolus Palmieri, prout statim memorabimus.

C. CAROLUS PALMIERI (1725-1737)

Ecce genuinus ac praecipuus familiae De Liguoro notarius, saltem quatenus hodie fas nobis est diiudicare ex Archivi protocollis valde ponderosis. Nihilosecius deflenda manet gravis instrumentorum lacuna, qua abierunt disperditae nonnullae series annales. Sic ex. gr. periisse videtur series an. 1730, in qua — prouti aliunde novimus — ad diem 7 mensis ianuarii reponeretur magni momenti instrumentum a D. Iosepho de Liguoro, patre S. Alfonsi, exaratam. Ceterum, quo facilius suam sibi quisque opinionem struat, elenchum annuum subdimus principalium documentorum, quae ad rem alfonsianam diversimode spectant.

Anno 1725, ff. 37-40, 43, 45, 49, 51. Instrumenta super Anna Brancaccio, super eiusdem filiis Iosepho et Thoma de Liguoro, de quibus supra diximus.

Anno 1726. - Deest series huius anni.

Anno 1727, ff. 20-26. Conventio inter S. Alfonsum et fratrem suum D. Herculem, quam infra inserimus.

Anno 1727, f. 38. Cessio iurium D. Iosephi de Liguoro, patris S. Alfonsi.

Anno 1727, ff. 41-44. Promissio donationis D. Iosephi de Liguoro filio suo D. Herculi intuitu matrimonii, sicuti mox feremus.

Anno 1727, ff. 63, 85. Emptio ac cessio iurium a D. Iosepho de Liguoro peractae.

Anno 1727, f. 94. Emptio contignationis inferioris (*un basso*) et parvi caeveldii (*cortile*), quam ex fratribus Sarnatano perfecit D. Iosephus de Liguoro in casali Marianellae « e proprio dietro la chiesa parrocchiale ».

Anno 1727, ff. 138, 144, 146, 172^v. Diversae cessiones iurium seu conventiones de pecunia mutuo data a D. Iosepho de Liguoro.

Anno 1727, ff. 186-194. Longum instrumentum quo D. Iosephus de Liguoro sibi acquirit in casali Marianellae quasdam domos (*un comprensorio di case*) ac rusticum praedium.

Anno 1727, f. 232. « Ill. mus » [*sic*] R. dus P. D. Thomas Pagano Oratorianus instrumentum venditionis signat « per sua utilità e per alcune spese nella chiesa del d° Oratorio ».

Anno 1727, f. 324. Procuratio quam perficit « l' Ill. mo Sig. D. Domenico del Balzo, odierno barone della Terra di Presenzano per affittare la detta Terra ».

Anno 1728, ff. 3-9. Mutuum 2.000 ducatorum conspicuum, quod « sopra l'arrendamento del tabacco » D. Iosephus de Liguoro concedit D. Annae de Cordua eiusque filio D. Paulo.

Anno 1728, f. 124 ss. Testamentum D. Dominici de Liguoro, avi paterni S. Alfonsi; seu potius, quoniam vir iste mortem obierat ab intestato, conflatum longum instrumentum quo D. Iosephus de Liguoro adit haereditatem paternam « cum beneficio legis et inventarii ».

Anno 1728, f. 380^v. D. Iosephus de Liguoro sub hypotheca domus « palazziatae » « nel borgo de' vergini », suscipit mutuum 300 duc. a sacerdote D. Ianuario Carrano.

Anno 1728, f. 387. - Eodem die sacerdos praedictus D. Ianuarius Carrano

instrumento publico fatetur se praefatam pecuniam 300 duc. non ex suo proprio capitali, sed ex bonis sanctimonialis Mariannae de Liguoro, professa in monasterio S. Hieronymi, cessisse, ac proinde erudimur sororem S. Alfonsi « per alcuni giusti fini » patri suo argentum commodasse.

Anno 1279, ff. 105^v, 108, 135. Triplex cessio iurium seu mutui praestationes, quibus D. Iosephus de Liguoro diversas pecuniae summas clientibus commodat.

Anno 1729, ff. 171^v, 174. Cessio iurium a D. Iosepho de Liguoro stipulata. In secundo instrumento cessio 1.100 ducatorum fit « gratis et amore » in beneficium D. Michaëlis eiusque filiorum. Deest in instrumento qualificatio « patritii » D. Iosepho apponenda eiusque nomini additur « Maria »: unde dubium de homonymo mentem subit, etsi fontes introituum (*entrate*) qui recensetur, patri S. Alfonsi fortasse quadrant.

Anno 1729, f. 200^v. Instrumentum D. Theresiae de Liguoro, sororis S. Alfonsi, seu potius declaratio qua D. Antonius de Palma, « maestro di cappella », notum reddit se a praedicta D. Theresia « baronessa di Presenzano », in custodia recepisse huius pretiosas gemmas (*gioie*), quarum descriptio singulatim inseritur.

Anno 1729, ff. 211^v, 214, 321, 324, 328, 379, 393. Cessio iurium multiplex, quam cum diversis personis paciscitur D. Iosephus de Liguoro, sibi permutationem reservans super comparium locationibus (*arrendamenti dell'olio, della neve, de' ferri, della farina nuova, delle sali, della seta di Calabria*).

Anno 1731, ff. 42-53. D. Iosephus de Liguoro eiusque filius Hercules novum mutuum 100 duc. paciscuntur cum sacerdote D. Ianuario Carrano; is vero pridie declaraverat novo instrumento (f. 38) se non ex proprio penu, sed ex bonis sanctimonialis Sor. Mariannae de Liguoro talem summam foenerasse. Hanc vero summam, quae cum alia anni 1728 ad 400 duc. ascendit, praedictae sorori D. Mariannae restituit frater suus Hercules an. 1771, prouti ex posteriore folio ibidem adnexo erudimur.

Anno 1731, ff. 85^v-91. Procuratio in favorem D. Herculis de Liguoro et Dnae. D. Catharinae Annae Cavalieri. Hanc magni momenti procurationem concessit die 16 mai an. 1731 D. Iosephus de Liguoro « ritrovandosi capitano [*sic*] sopra la Capitania [*sic*] », quo tempore ex urbe neapolitana discessurus cum regiis navibus dicebatur.

Anno 1731, ff. 121^v-139. Absente propter navigationem D. Iosepho de Liguoro, die 15 iunii D. Hercules et D.na D. Anna Catharina instrumentum emptionis perficiunt, quod ratum declarare deberet D. Iosephus « al ritorno, che coll'agiuto di Dio farà in questa città colla squadra delle Regie Galere, sopra de' quali si ritrova Capitano della Capitana ». Sub finem (ff. 138-139) adnexum invenitur folium quo D.na Anna Catharina, stante dote nuptiali 7.000 ducatorum a patre suo Friderico Cavalieri accepta, adit Viceregem ab eoque veniam expostulat oppignorandi partem dotis, ut sumptibus provideat ex matrimonio filii Herculis « con donna qualificata » obortis.

Anno 1731, ff. 197, 208. Mutuum quod die 29 augusti an. 1731 in casali Marianellae elargitus est D. Hercules de Liguoro « alla ragione del sei per cento » in adiutorium D. Annae de Cordua, cuius filia D. Eustachia de Cordua « in capillis » in monasterium S. Mariae intra civitatem Capuae sese recipere peroptabat.

COROLLARIUM. - De abbate D. Silvestro Tosques, futuro S. Alfonsi in Congregatione socio. - Inter selectos notarii Caroli Palmieri clientes locum haud infimum tenet hisce annis D. Silvester Tosques, et quidem a mense augusti an. 1727 usque ad diem 21 novembris an. 1731; proinde fere usque ad illam suae vitae periodum, qua de vocatione religiosa — etiam per novum

Institutum condendum — ipse deliberare coepit. Valde igitur conferunt, ut abbatis indolem necnon eiusdem statum oeconomicum ac familiarem dignoscamus, instrumenta quae in compendio recensemus.

Anno 1727, f. 181^v. Procuratio abbatis D. Francisci Tosques, Viennae commorantis. Videtur fuisse natus maior: quamobrem eiusdem fratres Nicolaus, Vincentius et Silvester, inter se de bonis paternis ac maternis litigantes, ipsum constituerunt arbitrum atque promiserunt acquiescere « alla decisione dell'Ill.mo Abbate Sig. D. Francesco Tosques, parimente loro comune fratello, residente nella città di Vienna ».

Anno 1728, ff. 252, 253. Instrumenta de pecunia a D. Silvestro Tosques mutuo data. In secundo instrumento nominatur « il Sig. D. Francesco Cavaliere, Giudice della Gran Corte della Vicaria »: agitur de S. Alfonsi patrueli.

Anno 1729, ff. 49, 78, 99^v, 242, 274, 285^v, 326, 363^v, 391. Plura ac diversae naturae instrumenta, inter quae eminent duo respicientia duplex argenti mutuum a D. Silvestro Tosques « gratis et amore » commodatum Ex.mae D. Mariae Emmanuelae Orsini, Abbatissae S. Patritiae ac sorori Benedicti XIII. Hinc facile intelligitur quo pacto abbas Silvester Tosques, postquam a nascente Instituto alfonsiano recessit, servitia amicalia archiepiscopo Mondillo Orsini praestiterit nec favore cardinalis Dominici Orsini caruerit.

Anno 1731, ff. 33, 302^v, 323. Agitur potissimum de negotiis pecuniariis vel commercialibus, ex quibus interdum portenditur abbatis indoles actiosa simul ac imperiosa. Sic. v. gr., quoniam quidam fratris sui Vincentii debitor syngraphum nummularium (*cambiale*) reiecerat, abbas Silvester se coram notario sistens « protesta non una, ma più e mille volte ».

II. QUaedam in Textum Abdicationis Praenotamina Historica.

1. - Existentia huius abdicationis seu renuntiationis iurium primogenitalium nobis nota erat ex clausula, quam anno 1746 post mortem D. Iosephi de Liguoro inseruit S. Alfonsus in suo testamento holographo: « Lascio a beneficio della medesima [Congregazione] il capitale di tre o quattrocento ducati, o quanto sia, che io mi riserbai nella rinuncia fatta da me, come apparisce dall'istromento fatto verso l'anno 1725, per mano di notaro... che non mi ricordo, in Napoli; ma già lo saprà mio fratello » (2). Inter nebulas igitur memoriae suae evanuerant tum notarii nomen, tum annus definitus renuntiationis; hanc tamen cum suis clausulis semper validam atque efficientem existimavit ideoque fratrem suum Herculem ad ipsam observandam et exsequendam iure pleno adegit, sicuti mox indicabimus.

2. - Occasio renuntiationis duplex fuisse videtur, alia ex novo statu ecclesiastico S. Alfonsi orta, alia vero ex matrimonio quod illis diebus fratri suo Herculi parabatur. Ex primo capite, postquam S. Alfonsus servitio Ecclesiae se mancipavit, eo ipso impos reddebatur qui familiae suae patritiae continuitatem directa linea legitime perennaret; statim ergo ac die 21 mensis decembris an. 1726 sacerdotio auctus inter suos familiares comparuit, momentum properare constituerunt, quo primogeniti iura in fratrem transferret. Ex secundo capite, etsi conveniens Herculis matrimonium putabatur, aegre in praxim reduci poterat, inter alias causas ob immaturam illius aetatem; natus enim die 6 decembris an. 1706, a paucis hebdomadis compleverat annum vitae vigesimum. Huic impedimento sat probabiliter tribuenda manet obscu-

(2) *Lettere di S. ALFONSO I*, Roma [1887], 116.

ritas seu indecisio, quam subodoramus in instrumento ab eodem notario Carolo Palmieri exarato (f. 41-44) die 14 februarii an. 1727 ac cuius praecipuae clausulae sic sonant:

Die 14 mensis februarii an. 1727.

Conventio D. norum D. Iosephi et D. Ercolis [sic] de Liguoro.

Costituti della nostra presenza l'Ill. mo Signor D. Giuseppe de Liguoro, patrizio napoletano... Ed il Signor D. Ercole de Liguoro, suo figlio, emancipato dalla sua patria potestà in virtù d'istromento di emancipazione rogato per mano del not. D. Carlo Stefano de Vivo (3). ...Detti Signori... spontaneamente hanno asserito come trattandosi tra il Signor D. Ercole e la signora D. [spatium album], Dama qualificata, per causa del matrimonio si dovrà stipulare lo stromento de' capitoli matrimoniali, o altro istromento nel quale dovrà anche intervenire detto Signor D. Giuseppe e dovrà fare assicurazione a beneficio di detto D. Ercole d'annui docati trecento, o pure altra somma maggiore, oltre d'altri annui docati cento cinquanta... dopo la morte del Signor D. Domenico Liguoro, loro padre ed avo rispettive. E come il tutto si farà ha detto Signor D. Giuseppe a fine di fare effettuare il matrimonio suddetto, atteso che senza la donazione facienda... il matrimonio non si contrarrebbe, non havendo mai avuto detto Signor D. Giuseppe intenzione di fare l'assegnazione sudetta, che perciò sen'intendono cautelare ad invicem con il presente istromento.

Matrimonium Herculis de Liguoro, non semel nec semper cum eadem nubili puella excogitatum (4), celebrari tandem potuit die 22 iunii an. 1732: ergo transactis quinque annis a renuntiatione, quam hodie commentamur.

3. - Causa motiva huius abdicationis in eo impulsu reponitur, quo S. Alfonso advocatus, humanarum rerum fuco contempto, gratiae sacerdotalis donum praesensit eoque frui sine mora decrevit. Formulam notarilem, qua tale propositum tandem expletum effertur, absque dubio miraberis necnon animi fervorem neopresbytero Alfonso in ea adiudicatum; recale tamen similes dicendi modos familiares devenisse notariorum calamo, sive occasione professionis religiosae sive ante sacrorum ordinum susceptionem. Sic v. gr. duobus post mensibus ac de S. Alfonso Carolus Palmieri, asserit de quodam Gaspare Pascale, ad Mercedis ordinem candidato, notarius coevus Carolus Stephanus de Vivo: « Siccome già sta stabilito fra pochi giorni entrarvi [in monasterio S. Ursulae, Ordinis S. Mariae « della Mercede redenzione de Schiavi »], ciò sotto il riflesso principalmente che le cose di questo mondo sono tutte volubili, fallaci, transitorie e di piccolissima durata, riducendosi nel suo fine ad una pura e noiosa vanità, e che altro da un vero cristiano pensar devesi, se non a porre in sicuro la sua anima ritirandosi in un chiostro, ed ivi servire all'onnipotente Iddio, quia servire Deo regnare est » (5). Nihi-

(3) Carolus Stephanus de Vivo (1689-1740) translatus est in Archivum Status, ubi allegatum emancipationis instrumentum nondum comperimus.

(4) Praecogitatum erat ex. gr. coniugium cum puella nubili ex familia Sersale, ita ut dona atque gemmae ad nuptias ineundas pararentur. Dum vero D. Iosephus de Liguoro cum tremibus (galere) ex urbe discedere ad tempus coactus est, spes concordati matrimonii evanuit, non sine gravi D. Iosephi amaritudine. Utrum in instrumento Caroli Palmieri supra allato respiciatur necne connubium D. Herculis cum filia ex gente Sersale, nondum definire possumus.

(5) Archivio di Stato - Napoli. Prot. Not., Carlo Stefano de Vivo, an. 1727 die 4 aprilis, f. 136.

lominus stylus « Curiae » (hoc vocabulo appellabatur) notarilis non impedit quominus aciem mentis intendamus in illud instrumenti comma, iuridicis et spiritualibus consequentiis vere onustum: « Come mai detto Signor D. Alfonso fosse nato nel mondo ».

4. - Substantia namque renuntiationis secum ferebat quasi decretum mortis civilis respectu iurium primogeniti, cui titulus addicebatur haeredis universalis et particularis super familiae bonis mobilibus atque immobilibus, salva fratrum et sororum portione legitima; haec tamen non raro administranda aut saltem elargienda heredi universali demandabatur, ex quo facile orientantur lites vel dissensiones plus minusve graves, etiam S. Alfonso haud incognitae, uti mox indicabimus. Quod vero in beneficium S. Alfonsi pater suus privilegia heredis universalis, qua primogeniti, iam dudum adparasset, nos docet notarius Palmieri memorans duplicem fratrum renuntiationem. Enimvero Barbara seu Maria Luisa, sanctimonialis in monasterio franciscano S. Hieronymi, ibidem professionem emiserat an. 1716 (6), praehabita de more iurium familiarium abdicatione, quam tamen minime hucusque invenimus inscriptam apud monasterii vel notarii regesta. Eodem anno 1716 vota sollemnia inter benedictinos cassinenses monasterii SS. Severini et Sosii promisit secundo familiae genitus Antonius, in religione Benedictus, qui pari modo in fratrem suum Alfonsum iura patritia transtulit.

Nec a scopo sibi praefixo alienae dicendae sunt clausulae multiplices aequae ac subtiles, quibus conventionis notarilis signatores alludunt « all'eredità materna, zierna, averna etc. ». Etenim D. Anna Catharina, mater S. Alfonsi, in suis cum D. Iosepho de Liguoro pactis matrimonialibus, dotem collocarat 7.000 ducatibus perspicuam eamque deinceps tueri non desiit, etiam publico legis scuto protecta; ex hoc igitur capite non leve emolumentum S. Alfonso heredi obventurum sperare licebat. Avus quoque S. Alfonsi, Dominicus nempe de Liguoro, inter vivos usque ad annum sequentem debebat ideoque ipsius bona stabilia ac mobilia (puta: « uno cembalo con la cassa vecchia tinta de' paesi, col piede però fatto da D. Giuseppe suo figlio ») per filium D. Iosephum in S. Alfonsi ditionem annorum lapsu transirent. Praeterea, rei familiaris augmina seu incrementa, quae ex capite « patruorum, materterarum et avitarum » forse praevidebantur intra hereditatem prolapsura, et quae de facto decursu temporis semel atque iterum prolapsa sunt. Quibus omnibus rite ponderatis, concludere licet, translationem bonorum ultroneam, quam hoc instrumento subscribebat S. Alfonsus, nullo pacto symbolicam tantum fuisse, sed reapse et obiective opes et familiares fortunas derelinquendas comprehendisse.

5. - Conditiones quibus renuntiatio subiicitur, facili negotio explicantur. Patrimonium titulo ordinationis sancitum tangi nequibat absque legis canonicae et civilis praeiudicio; quamobrem illud sartum tectum uterque frater in conventionem declaravit, aucta quidem paulisper patrimonii dote primigenia. Id enim prorsus exigebat familiae patritiae decus, quod sine parentum offensione S. Alfonsus omnino posthabere non poterat; posthabuit quidem, si P. Tannoiae fidem adstruimus, in quibusdam externis honorificentiae signis, prae primis quoad servum sive famulum in conventionem stipulatum, quem noluit S. Alfonsus pedisequum sibi comitari: « Permisse sul principio, me-

(6) Vide *Spicilegium Historicum CSSR* 4 (1956) 7-24.

minit P. Tannoia, per contentare suo padre, che un lacché l'avesse seguitato; ma poi se ne disfece, e non compariva per Napoli, che come il più misero tra preti » (7).

Translucent quoque D. Iosephi consilium et D. Herculis sollertia in iis cautelis apponendis, quae potentiales S. Alfonsi dignitates ecclesiasticas respiciunt. Harum prima sic effertur: « Cappellania del Tesoro delle Nobili Piazze di questa città ». Agitur de Capitulo Thesauri S. Ianuarii, qui intra cathedralem ecclesiam in ditissimo sacello aequae ac celeberrimo custodit sacras reliquias, prae primis gloriosi S. Ianuarii Caput et Sanguinem. Quoniam a Sacello condito primas partes in eiusdem constructione et oeconomica dotatione habuerant Municipium (*la Città*) eiusque per Plateas seu Sedilia (*piazze, seggi*) ornatiores familiae (8), in easdem reversum est ius instituendi atque eligendi duodecim cappellanos, qui ad instar Capituli functionibus sacris in Sacello praessent. Pleno itaque iure patritio gens Liguoro, quae ex Platea Portae Novae per Albericum et Horatium de Liguoro ad Sacelli fundationem et subsequentem perfectionem opem contulit, sibi deinceps vindicavit honorem interveniendi in eligendis Capituli membris. Hoc proinde fundamento nitebatur spes, quam D. Iosephus et D. Hercules secreto alebant, efferendi S. Alfonso ad munus cappellani numerarii. Quod si eosdem spes de Alfonso decepit, de fratre suo Caietano laetificavit: is enim ad sacerdotium mense septembri an. 1730 evectus, inter S. Ianuarii cappellanos die 10 aprilis an. 1736 tanquam patritius platearis Portae Novae aggregatus est ac cum illis pie laboravit usque ad postremos vitae suae annos († 1784). S. Alfonso porro, qui — dum inter vivos ageret — sedile proprium intra sacellum haud novit, ibidem post canonizationem ex simulacro suo argenteo cappellani praesidet tanquam urbis Patronus (a die 24 augusti an. 1840).

Iisdem fere diebus an. 1736 aliam quoque conventionis clausulam in D. Iosepho de Liguoro renatam crederes, illam nempe quae pro filio Alfonso praevidet « dignitatem canonicatu maiorem », id est, episcopatum. Reipsa, quo vir patritius fruebatur influxu inter regis ministros, haud difficile negotium videbatur episcopalem pro filio discernere sedem iuri patronatus et regiae praesentationi obnoxiam. Nota est aperta S. Alfonsi repulsio: « Per l'altra cosa del vescovado, gnore mio, non me lo nominate più se non volermi proprio dar mi disgusto: mentre poi, ancorché riuscisse, io sono pronto a rinunciare anche l'arcivescovado di Napoli, per attendere a questa grand'opera [*Congregationis*], alla quale mi ha chiamato Gesù Cristo » (9).

6. - Demum si interrogas quales fortunas utrique fratri conventio solemniter peperit, adserendum est novum initium constituisse fraternae unionis, qua — dum in terris morati sunt — ad invicem sese devinxerunt. Nec huic intimo animarum connubio nocendum irreparabile attulit temporanea discrepantia, quae viginti post annis comparuit, cum ob patris mortem necesse fuit conventionis praedictae clausulas in novum examen reducere. Etenim si D. Hercules, rei familiaris angustiis pressus, in proprium commodum pactioes signatas et paternum testamentum vertere temptavit, ei obviam prodiit sanctus frater, caritate et longanimitate munitus: « Finchè posso, voglio andare colla carità di Gesù Cristo. Ma vedo che voi ne volete proprio abu-

(7) [TANNOIA], *Della Vita ed Istituto...* I 32.

(8) A. BELLUCCI, *Memorie storiche ed artistiche del Tesoro*, Napoli 1915, 1-30.

(9) *Lettere di S. ALFONSO* I 55.

sare... Io vi faccio questo rilascio, ma voglio che mi restate obbligato a servire la Congregazione, quando mi bisognasse la vostra persona per qualche negozio in Napoli » (10). Historia nos docet, quanta sollicitudine et quibus animi ac sumptuum sacrificiis, D. Hercules usque ad mortem tum fratri suo dilectissimo et veneratissimo, tum Instituti nostri sodalibus opem suam pretiosam contulit, memor semper conventionis quam die septima februarii an. 1727 cum fratre suo Alfonso primogenito subscripsit.

7. - Infra scriptus renuntiationis textus servatur in Archivo Notarili inter Protocolla notarii Caroli Palmieri, anno 1727, ff. 20-26. Ex eo quod S. Alfonsus illud memoravit in suo testamento holographo, hoc instrumentum quandoque nuncupatur « testamentum iuvenile » sancti Doctoris, et re vera quoad effectus in multis testamento aequipollens mansit; attamen sub aspectu iuridico limites conventionis inter fratres non excessit; hinc documenti titulus ad eiusdem bram a Carolo Palmieri appositus sic legitur :

CONVENTIO R.DI D. ALFONZI DE LIGUORO ET
D.NI D. ERCOLI [*sic*] DE LIGUORO.

Eadem die septima m. februarij 1727. Neapoli.

Costituito in presenza nostra il R.do Sacerdote secolare Signor D. Alfonzo de Liguoro, figlio del Signor D. Giuseppe, il quale acconsentendo prima in noi agge et interviene alle cose infra-scritte per se, suoi eredi e successori, ed a maggiore cautela interviene coll'espresso consenso, presenza, autorità ed intervento di d° Signor D. Giuseppe suo padre presente, ed il suo consenso approbativo ed obbligativo prestante etc.

È spontaneamente ave asserito in presenza nostra e del Signor D. Ercole de Liguoro suo fratello utrinque congiunto presente e le cose infrascritte recipiente, stipulante ed accettante per se, suoi eredi e successori, qualmente esso Signor D. Alfonzo tempo fa havendo conosciuto che le cose mondane sono transitorie e fugaci, per ciò voltò la sua intenzione verso Dio, cui servire [*regnare*] est, e s'incaminò per la strada sacerdotale, ed ora già grazia al cielo è giunto al sacerdotio : per la qual causa li fù assignato da d° Signor D. Giuseppe suo padre a titolo di patrimonio, acciò avesse potuto a d° grado ascendere, la summa d'annui docati quaranta, dopo di che ottenne anche rinuncia a suo beneficio il d° Signor D. Alfonzo, così dalla Signora Maria Luisa de Liguoro, in seculo chiamata D. Barbara, monecha [*sic*] nel Venerabile Monastero di S. Geronimo, come dal R.do P.D. Benedetto de Liguoro benedettino, in seculo chiamato D. Antonio, suoi fratello e sorella, siccome dalle pubbliche cautele, alle quali etc.

(10) *Ibid.* 113-115.

E perché il d° Signor D. Ercole deve prendere stato ed accasarsi, perciò esso Signor D. Alfonzo ha deliberato nella sua mente di donare, cedere e rinunciare ex nunc pro tunc, secuta la morte di d° Signor D. Giuseppe suo padre, a beneficio di d° Signor D. Ercole e de' suoi figli mascoli primogeniti ex suo corpore legitime descendentibus, ed a quelli che teneranno luogo di primogenitura, tutt'e e qualsivogliano suoi beni, ragioni, attioni che quomodocumque et qualitercumque li possa spettare e competere per qualsisia ragione e causa, e con le infrascritte condizioni, come infra più chiaramente si dirà.

E fatta l'assertiva predetta per d° Signor D. Alfonzo per mandare in effetto detta sua deliberazione, con giuramento in presenza nostra ha ceduto e rinunciato, anzi donato per titolo di donazione irrevocabile tra vivi ex nunc pro tunc secuta morte di d° Signor D. Giuseppe suo padre a beneficio di detto Signor D. Ercole presente e de' suoi figli mascoli primogeniti ex suo corpore legitime descendentibus, e di quelli che teneranno luogo di primogenitura, ogni ragione, attione, parte, porzione legittima e supplemento di legittima e qualsivogliano altre ragioni ad esso Signor D. Alfonzo acquistate o devolute, ed acquistande e devolvende per qualsisia eredità ed ascendenza ex testamento in virtù di qualsivogliano sostituzioni purificate e purificande in futurum, ed anche qualsivogliano successioni devolute o devolvende a beneficio di d° Signor D. Alfonzo per lo passato ed in futurum, per ragione d'eredità e soccessione paterna, materna, fraterna, sororia, zierna ed averna, patruorum ed avunculorum, materterarum et avitae utriusque, e sopra qualsivogliano beni, ragioni, eredità paterni, materni, doti e ragioni dotali materne, fraterne, sororie, zierne, averne, patruorum, avunculorum, materterarum et avitarum utriusque, ed altre soccessioni ed escadenze qualsivogliano al d° Signor D. Alfonzo devolute e che devolveranno, tanto per ragione di testamento, quanto ab intestato per vivi et causa mortis e per qualsisia soccessione diretta seu fideicommissaria, tanto nell'atti tra vivi, quanto nell'ultima volontà da tutto il tempo passato, forse purificate o che in futurum si purificassero, devolute o che si devolvessero ab intestato et ex testamento a beneficio di d° Signor D. Alfonzo, tanto per ordine d'eredità e soccessioni paterne, materne, sororie, fraterne, zierne, averne, patruorum, avunculorum, avitarum, materterarum et avitae utriusque, quanto per qualsisia maiorascato, fideicommissa o altra qualsisia causa e soccessione, e così per linea diretta, come collaterale seu transversale ed in qualunque altro

grado esistente o soccessibile, et aliter undecumque, quomodocumque, qualitercumque et a quocumque, et praesertim per bonorum possessionem, anco per raggione consuetudinaria di questa città di Napoli e per le costituzioni del Regno, ancorchè d° Signor D. Alfonso venisse o pretendesse venire ex propria persona, tanto per causa di soccessione ad esso dovuta, seu deferenda per qualsisia causa : quale donazione, cessione e rinuncia s'intenda fatta a beneficio di d° Signor D. Ercole, suoi figli mascoli primogeniti ex suo corpore legitime descendenti, e di quelli che teneranno luogo di primogenitura generale e generalizzata, reale e realissima, piena e pienissima, efficace ed efficacissima, anzi perpetua con la clausula tollens se de medio e debbia avere il suo effetto rebus etiam in eodem statu non permanentibus (il che Dio non voglia) di modo tale che la presente rinuncia s'intenda fatta ex capite, unde liberi, unde agnati, unde cognati, come mai d° Signor D. Alfonso fusse nato nel mondo.

Però con le infrascritte riserve, patti, condizioni e clausole, e non altrimenti, s'intendi e sia fatta la presente rinuncia, quali s'intendono apposte, e rispettive nel principio, mezzo e fine, ed in qualsisia parte del presente contratto, cioè :

In primis esso Signor D. Alfonso sottopone ed ha sottoposto così tutti li suoi beni acquistati ed acquistandi per qualsisia soccessione paterna, materna, fraterna, sororia, zierna, averna, patruorum, avunculorum, materterarum et avitae utriusque, le sudette sue rinuncie a suo prò fatte dalli sudetti Signori fratello e sorella rispettive a perpetuo maiorasco, il tutto del modo siccome si farà dal d° Signor D. Giuseppe suo padre, quale maiorascato si debbia e s'abbia da intendere ne' sudetti beni e raggioni, come sopra rinunciate dal d° Signor D. Alfonso a beneficio di d° Signor D. Ercole.

Di più che sia tenuto d° Signor D. Ercole, siccome il medesimo con giuramento in presenza nostra ha promesso e s'è obligato ex nunc pro tunc sequita la morte di d° Signor D. Giuseppe suo padre di dare e somministrare a d° Signor D. Alfonso, stando unito con d° Signor D. Ercole, vitto, abitazione e servitore, e pagare anco ogni anno a d° Signor D. Alfonso docati sessanta vita sua durante, inclusovi però il patrimonio del medesimo Signor D. Alfonso ascendente alla detta summa di annui docati quaranta; e volendo il d° Signor D. Alfonso stare disunito e separato da d° Signor D. Ercole, debbia il d° Signor D. Ercole, conforme ha promesso e s'è obligato di dare e pagare ogn'anno al medesimo D. Alfonso sua vita durante ut supra annui docati cento cinquanta, inclusovi an-

che il suo patrimonio de' sudetti docati 40; il che però si debbia intendere se il d° Signor D. Alfonzo non ascendesse a dignità maggiore; ma se il d° Signor D. Alfonzo ottenesse cappellania del Tesoro delle Nobili Piazze di questa città, canonicato di questo Arcivescovato di Napoli o altra dignità maggiore, che sia tenuto e debbia d° Signor D. Ercole, stando uniti, somministrarli solamente vitto, abitazione e servitore, e stando separati la summa d'annui docati novanta, inclusovi detti annui docati 40 di patrimonio, vita durante di d° Signor D. Alfonzo tantum, e non altrimenti.

E finalmente d° Signor D. Alfonzo s'ha riservato e riserva la potestà e facultà di potere a suo libero arbitrio, disposizione e volontà disporre così in vita come in morte, della summa di docati cento cinquanta, atteso con queste condizioni e dichiarazioni d° Signor D. Alfonzo ha fatto la sudetta rinuncia tantum, e non altrimenti.

Promettendo d° Signor D. Alfonzo la rinuncia e donazione presente non revocare per qualsisia causa che rivocar si potesse, anco per vizio d'ingratitude, ne quantunque eccedesse di gran lunga la summa di docati cinquecento, rinunciando espressamente a tutte le leggi dittantino a favore de' donanti e signanter alla legge fin. ed a tutto il tit°, alla legge « Si unquam » (Cod. de renuntiandis donationibus), alla legge « De donationibus insinuandis », et all'istessa insinuazione, e che in essa non vi sia necessaria insinuazione alcuna, ma vaglia e tenga come se fosse fatta avanti qualsisia giudice, ufficiale e magistrato e con l'autorità ed insinuazione delli medesimi.

Rinunciando d° Signor D. Alfonzo con giuramento in presenza nostra tacto pectore a tutti e qualsivogliano atti protestativi, anche clandestini, per esso D. Alfonzo forse fatti o da farnosi [*sic*] contro la formola del presente contratto, anco geminati con clausola derogatoria e derogatoria de derogatorie, acciò che da oggi avanti, e per l'avvenire, non faccino più fede ne sortiscano effetto alcuno in giudizio, ne fuori.

